

paulominus quam quadringentesimus an-
 nus expletur, & quantum temporis resideat
 usque ad diem iudicii, nec angeli noverunt,
 nec filius. Qui ideo ignorare se dicit, quia
 nobis non expedit discere. Hi sunt ergo
 multi dies, quibus infelix synagoga & mulier
 adultera hordeo pascitur, & sedet contracta,
 quia cum Christo stare non potest. *P. p.* Hæc
 est cæcitas, quæ ex parte accidit Israëli, ut
 subintraret plenitudo gentium: & tunc o-
 mnis Israël salvus fieret: & multo post tem-
 pore revertentur, & quærent Dominum
 Deum suum & David regem suum. *Iterum:*
 Cumque eum viderint filii Israël, qui à suis
 fratribus denegatus est, in Patris & sua ma-
 jestate regnantem, pavebunt & stupebunt
 ad Dominum & ad bonum ejus. *P. p.* Præ-
 sens capitulum alii Judæorum super Baby-
 lonica captivitate interpretantur, quando
 70. annis desolatum est templum, & altare,
 & victimæ & sacerdotium non fuerunt, &
 postea sub Zorobabel in sedes pristinas sunt
 reversi. Alii ut nos in futurum deferunt
 tempus: & quæ sit causa tam grandis offen-
 sæ, ut tanto tempore relictæ sint, maximè
 cum idola non colant, præter interfectio-
 nem Salvatoris aliam non valent invenire.

Aluffer